

hac vitâ imperfectionem Pſal. XXV. 7. 1 Cor. XIII. 9. 10. accuratè con-  
 siderabit: Et inter Ecclesiam ratione Dei l. certitudinis promissio-  
 num divinarum. Hoc modo deficere posse à fide Catholicam Chri-  
 sti Ecclesiam, adeoque omnes in universum verè fideles, neutiquam  
 adserimus. Si enim tota erraret, portæ inferorum adversus eam  
 prævalerent. (3) inter perpetuam Ecclesiæ durationem ejusque visibi-  
 lem & externam claritatem; illa hîc promittitur; non hæc significa-  
 tur. Quia de Ecclesia potissimum invisibili sive interna & verè Ca-  
 tholica sermo est. Externa visibilis & particularis Ecclesia quidem  
 secundum quid, non tamen absolutè simpliciter & exclusivè hic po-  
 test vel debet intelligi: quia multis particularibus Ecclesiis, ipsique  
 Romanæ, portæ inferorum prævaluerunt. Deinde circa prædicatum  
 Disting. inter errores principales & fundamentales, qui sunt de fide &  
 inter errores minus principales & marginales, qui sunt circa fidem.  
 In illos Ecclesia universalis nunquam impingit. In hos visibilis par-  
 ticularis Ecclesia, l. ejus membra nonnunquam incidere possunt, id-  
 que partim propter imperfectionem nostræ Cognitionis, quæ omnes  
 scripturæ S. Textus ad mentem Spiritus S. intelligere & omnes quæ-  
 stiones ac difficultates circa fidem decidere non potest: partim pro-  
 pter diversam Ecclesiæ faciem, dum heic militat. Quapro-  
 pter etiam Calvinianos gravissimè hîc hallucinari dicimus dum con-  
 tendunt, electos non posse à fide deficere aut gratiâ DEI excidere:  
 quia portæ inferorum prævalere iis non debent. Verùm de to-  
 tali fidelium, non tamen finali electorum ἀνοσία alii ex  
 Scripturæ S. fundamentis dudum contrarium monstrârunt. La-  
 psô unô alterovè lapide non statim corruet universum Ecclesiæ  
 ædificium. De quibus Confer. pluribus Magnif. Dn. D. Calov.  
 Exegem. Aug. Conf. Artic. 7. cap. II. n. 3. D. Kromayerus Theol.  
 Posit. Pol. p. 1005. seq. D. Dieter. Anal. Evang. P. III. p. 429. a. B.  
 Danhaw. P. VI. Lact. Catech. 370. seq. & P. IX. p. 79. itemq; Ho-  
 dosoph. S. p. 170. seq. Magnif. Dn. D. Olearius in Manuali p. 1632.  
 Dn. D. Strauch Consens. Repet. Vindicat. p. 80. sq. Dn. Lic. Bose,  
 Disput. inaug. Sect. II. Quest. I. D. Meisner. P. II. Philosoph. sobr.  
 sect. 1. c. 2. quest. 8. p. m. 298. D. Gerhard. LL. CC. Tom. V. de Ec-  
 clesia S. 96. p. m. 291. a.

QVÆ.